

... sed de C. Mario multo liberius et erectius. Ex quo etiam suo honori plurimum dedit, de quo aliquanto demissius et verecundius dixerat.

§ 21. Tui municipes sunt illi quidem splendidissimi homines, sed tamen pauci. 5

... Etiam hic Atinatium suffragia praetulit Tusculanis, cum illi et pauci et invidi, hi vero et plures et benigni.

Quam quidem nunc multitudinem videtis, iudices, in squalore et luctu supplicem vobis.

Miscuit ..., non tantum quo doceretur iudex, verum 10 etiam quo moveretur. Adfectus enim coloravit ad misericordiam secundum Plancium permovendam ex habitu civium luctuoso, quasi ipsi sollicitudinem <et> molestiam pro suo cive succeperint.

§ 22. Non fucosa. 15

Verbum et hoc notabile inter alia, quae sunt apud veteres rariora, referendum est. ... adversus Tusculanos. Ne hanc laudem nude impertiri Atinatibus arbitreris: quos ita extollit, ut illorum malevolentiam deprimat.

§ 23. Quibus e municipiis vix iam, <qui> carnem 20 Latinis petant, reperiuntur.

Oppida commemoraverat Lavicanum et Gabinum et Bovillas prope iam vacua et populi exiguitate deserta, quae Laterensem non tantopere suffragiis suis potuerint adiuvari. Quod vero mentionem petendae carnis fecit, 25 pertinet ad consuetudinem sacri anniversarii. Nam Latinae feriae a quo fuerint institutae, dissentiunt plerique auctores. Alii ab L. Tarquinio Prisco, rege Romanorum, existimant, alii vero a Latinis priscis. Atque inter hos ipsos causa